



**N**ova Hispania amplissima est provincia, & cæteris huius Noui orbis cultior, amœnior, ac populis frequentior. quæ incipit à sinu Californiæ, quem vulgo Mar Vermeio dicunt, & extenditur vsque ad sinum Mexicanum ad Mare del Nort, & ad Iucatanam regionem. Occupata primum fuit ab Hispanis anno 1518. duce Ferdinando Cortesio, maxima tamen suorum & incolarum strage, cui remunerationis causa data fuit Tecoantepec regionis huius provincia. Est autem terra hæc montibus ac rupibus asperimis referta, nemoribusque occupata, & aere potitur temperato, quamuis sub Torrida iaceat Zona. in ea fluuij sunt quamplurimi piscibus abundantes, quorum aliqui etiam auriferi sunt. lacus etiam in ea multi sunt, maiori ex parte salsi, ex quibus sal conficitur: inter hos ingens est qui Chapalicum mare ob eius immensitatem vocatur. Abundat præterea regio ipsa mineris opulentissimis auri, argenti, ferri, & æris: atque mittit casiam, fistulam, & fructus quosdam quos incolæ Cacao appellant amygdalorum instar, ex quibus potum conficiunt: gossipio, ac omnibus insuper fructibus quos in Europa habemus, affluit. Sic quoque omnia profert animalium genera, vt sūt anseres, anates, coturnices, gallinæ quæ nostras longè superant, lepores, cuniculi, oues, boues, cerui, tigres, leones, vrsi, & alia huiusmodi. vnde carniū hîc magna habetur copia, & vilissimo sanè pretio. Inueniuntur etiam in fluminibus crocodili, quorum carnes ab incolis comeduntur: & mare regionem alluens piscibus mirè abundat: ostreaeque fert ex quibus margaritæ mirè colliguntur. Iocolitur porrò hæc pars ab Hispanis magis quam vlla alia Noui orbis: vnde multas in ea habent colonias, nempe Compostellam, Colimam, Purificationem, Guadalaiaram, Meechoacham, Cacatulam, Mexico, & alias. sunt porrò in hac Noua Hispania insignes nonnullæ provincie, nempe noua Gallitia, Mechuacan, Mexico, & Guastecan. Noua Galitia ab incolis prius Xalisco vocabatur. hanc primus detexit & acquisiuit Nunus Gusmanus, qui in ea vrbes aliquot fundauit, nempe Compostellam vbi sedes Episcopalis, & consilium Regium Spiritus sancti, Conceptionis, S. Michaelis, & Guadalaiaram celeberrimam totiusque regni caput. Regio aspera est, & incolæ feri ac crudeles, qui ab esu carnis humanæ non abstinent. Pertinet ad Nouam Galitiam regio illa quæ Culiacana vocatur ab vrbe huius nominis. iacet autem inter fluuium Piaftla, & fluuium Sancti Sebastiani, qui antequam in Mare se exoneret, à terra absorbetur. Metropolis est Culiacan, vbi Hispani fundarunt coloniam Domi. Michaelis. Incolæ pauperissimi sunt, & sub dio dormiunt, quorum qui iuxta Mare versantur, piscationibus vitam traducunt: qui verò mediteranea tenent, venationibus viuunt. Nullum olim superiorem agnoscebant, sed hodie Hispanis parent. Mechuachã regio ambitum habet 40. leucarum, & ex opulentiorebus ac fertilibus est **NOVAE HISPANIAE**, nam in ea ter quotannis mahiz maturatur, atque etiam alij fructus, affluit gossipio, melle, cera granistinetorum, herbis medicinalibus, ambra Nigra, & Sale. Sericum quoque abundè fert, & auro argentoque diues est. Multi sunt in ea lacus ampli, & fluuij peropportuni, piscibus copiosissimi. Incolæ proceri & corporibus valentes sunt, longæui, & ingenio pollentes. Duas continet vrbes principales ab Hispanis cultas, in quibus vigent mercimonia, nempe Pascuar, & Valadolit quæ sedes est Episcopalis, præter alias minus celebres.

Mexicana regio cæteris non tam nouæ Hispaniæ, quàm vniuersæ præstat Americæ. Nomen sumit ab vrbe Mexico, quæ Temistitan quoque nuncupatur, & hæc vrbs olim extructa erat Venetiarum instar in medio immensi cuiusdam lacus antequam à Cortesio occuparetur, qui eam ad eiusdem lacus ripam transtulit: estque nunc optimè fabricata, ambitum capiens sex miliarium, cuius vnam partem Hispani inhabitant, reliquum verò naturales. Residet in hac ipsa vrbe Archi-





**MEXICO** *Urbs Regalis, aut potius omnium Novi orbis circumstantium regna; in ripa lacus sine pulchris portu, sicut: modo ipsa urbs area patulissima est, adeo ut ad eam non nisi per pones aditus aut exitus pateat. Lacus huius est salus, quae longitudine ad sex leucas latitudine quoque se diffundit postibus caret, prae terquam minutis, quos vermes rectius appellare possis: ex quorum p. utredine, quae arboribus affinis ibidem caelatur, aer interdum inficitur; ita ut meliora reddatur habitatio; nihilominus in oculis mer catoribus ad eo frequens est ut quodam alio usque Orbis emporium, amplius enim urbs, ut quae triam fere leucarum iocentis in ambitu habeat, lacus alter: qui hinc cunfinit, dulcis est et piscibus admodum in quo etiam multa sunt oppida, quam plurima tamen etiam in vicinioribus lacus ripa. Cum haec urbs ab Hispanis caperetur, annus erat quadragesimus post centesimum, eratque hinc et una ad temporis eius Rex nono numero, iurum eam tam siguo amorem interduallo in laucam amplitudinem ac magnificentiam creverat. Plura leguntur in Vobis. Novi Orbis.*

1. *Tribus hic fluvii, ab Hispanis vocatur ab eius natura, nempe sapus se in terram abscondit et demum emergit. 2. Hic montis maxima argenti copia effunditur. 3. Quoniam gens fera. 4. Chichihy provincia. 5. Taraschi hic habitant. 6. Anahuac provinciae hic sunt. 7. Tezcuacan provinciae, gentes indolunt. 8. Quacatecas provinciae montes. 9. Tezcuacan populis. 10. Argenti et uris solus. 11. Niteris niteris. 12. Lacus aquae calidae. 13. Mexuacan Taraschorum provinciae. 14. Subniter. 15. Sacatula. 16. Fodinae argenti. 17. Conchupinecas. 18. Argenti niteris. 19. Flammans montes. 20. Lacus salis. Eius haec Provincia, quae hinc usque impertio si redacta circa annum Domini 1519 dicitur Ferdinandus Cortesius qui eam magna incolarum fruge occupavit. Flamma hic sine quavis pluvina aureas arenas ferrencia, ita ut tota regio auri et argenti feracissima sit.*

**HISPANIAE NOVAE SIVE MAGNAE VERA DESCRIPTIO**  
*Quae fecit. Johan. Blausio. Geogr. Acad.*



episcopus, & Prorex, ac tribunal supremum nouæ Hispaniæ. est que hic etiam imprimendi ars, & cudendi pecuniam. Hic autem lacus ad cuius ripas vrbs extructa, falsus est, & crescit ac decrescit veluti mare, & dum crescit, suas aquas in alium vicinum lacum effundit qui dulcis est. nullos autem fert pisces, sed tantum vermes astate putrescentes ac aerem infestantes: extrahitur tamen ex eo magna Salis copia. Ambitus amborum lacuum patet 50. circiter leucis, atque tam in ipsis quam circa eorum ripas iacent 50. circiter oppida, quorum singula continent plus minus 10000. domorú: atque per eos discurrunt 50. scapharum millia, quas canoas vocat, ad vsum vrbs Mexico, & aliorum oppidorum. Sunt autem hi lacus in planitie montibus percincta, qui niue semper operti sunt, quæ quidem planities collibus etiam intermixta est amænissimis. Post Mexico est Tescuro vrbs ad ripam eiusdem lacus, quæ amplitudine sua Mexicanum ipsum adæquat. Est etiam in hac prouincia Angelorum ciuitas, quæ prius Vacipalam, id est terra serpentum, vocabatur. hæc lanificio imprimis celebris est, eiusque ager vallibus ac planitiibus distinctus, in quibus innumera arma & greges aluntur, & magna segetum ac fructuum copia colligitur. Est quoque in eadem prouincia mons flammium, qui Popocampeche incolis vocatur. Incolæ huius regionis olim hominiuore erant, pluresque ducetes vxores: iam vitijs istis paulatim desueuerunt. vtuntur in bello sagittis & fundis quibus lapides iaciunt. Guastecan prouincia ad Mar del Nort exposita est, & minus fertilis; incolæ tamen humani sunt, ex piscatura viuentes. Est in hac regione mons in quo reperiuntur duo fontes, alter scilicet picis nigre, alter vero picis rubre feruentis. Duas hæc colonias Hispani habent, nempe Panuco, & D. Iacobi à Vallibus. Postremò in Noua Hispania est Tlascalan vrbs, quæ post Mexico secundum tenet locum, est que valde populosa & opulenta, agro facundo, ac Reipublicæ more, gubernatur, sub imperio tamen Hispanorum.

